



The Holy See

IOANNES PAULUS PP. II LITTERAE APOSTOLICAE **SINGULARI VENERATIONES** ANCTUS CASIMIRUS
CIVITATIS RADOMENSIS PATRONUS CONFIRMATUR Ad perpetuam rei memoriam. – Singulari
veneratione considerata, quam Sanctus Casimirus antiquitus habuit et hac quoque nostra aetate habet in dioecesi
Sandomiriensi-Radomensi, et magna insuper animorum utilitate in fide et religione maiorum firmando, Venerabilis Frater
Eduardus Materski, eiusdem dioecesis Episcopus, communibus motus tum cleri tum populi catholici votis, eius Sancti
electione in principalem apud Deum Patronum civitatis Radomensis potestate sua ordinaria rite adprobavit. Quoniam
vero idem Venerabilis Frater studiose postulavit ut ea electio et adprobatio confirmaretur secundum normam statutam in
«Instructione de Calendariis particularibus atque Officiorum et Missarum propriis recognoscendis», n. 30 ; Nos ex Sacrae
Congregationis pro Sacramentis et Cultu Divino sententia, supplicis preces propenso animo exaudivimus, ideoque
suprema Nostra Apostolica auctoritate Sanctum Casimirum principalem apud Deum Patronum civitatis Radomensis
declaramus et confirmamus, omnibus iuribus et liturgicis privilegiis iuxta rubricas concessis. Ceteroqui confidimus hinc
dioecesis quam supra demonstravimus, praesertim vero urbis Radomensis Christi fideles, copiosos ad vitam suam
spirituales fructus esse carpturos. Contrariis quibuslibet non obstantibus. *Datum Romae, apud S. Petrum, sub anulo*
Piscatoris, die IV mensis Martii, Sancti Casimiri festo, anno MDCCCLXXXIII, Pontificatus Nostri quinto. AUGUSTINUS
Card. CASAROLI, a publicis Ecclesiae negotiis © Copyright 1983 - Libreria Editrice Vaticana
